

fantur; sed materia illa tam nubium, quàm macularum Solarium, in longum latumque fusè diffunditur, quod observationes evincunt. In unâ enim maculâ quâdam præ ceteris insigniori & ampliori nonnunquam diversissimi nuclei, modò rotundi, quoad visum, modò diversæ & irregularis figuræ conspiciuntur. Idem in omnibus Cometis deprehenditur, quod materia non sit ejusdem densitatis & raritatis, nec eam perpetuò conservet; sed sit planè diversissima, & nulla æquabilis & continua massa, multis & diversissimis nucleis corpusculis, diversæ rursus figuræ & magnitudinis intermixtis, ita, tamen ut spatiola materiae tenuissima interjecta dentur, quæ radiis Solaribus transitum concedunt. Loquuntur id Telescopia: quare nos, alia prætermittentes, pergimus ad

(a.) Cometograph. p. 453.

CAPUT V.

De

CAUSSIS COMETARUM.

§. I.

Et si res ardua valde & mirè intricata sit investigatio causarum Physicarum in Cometarum negotio: καὶ δὲ δύναμιν tamen labore illo defungemur, & causas, quas Philosophi ad quatuor reducunt, ordine videbimus.

§. II. EFFICIENS ab aliis hæc, alia ab aliis assignatur. Aristoteles, qui Cometas facit aëreos, motui diurno vim efficiendi Cometam adscribit, cujus sententia hoc vult: Quia exhalatio non potest rectè sursum ferri, ex eo motu impedita contorquetur in seipsam, & densatur, indeque incenditur. Sed huic sententiæ ipse Claramontius, (a.) Aristotelis propugnator aliàs acerrimus, litem indicit, quando quærit: (1.) Cur non semper efficiantur Cometæ, sed rarò, ut ipse Aristoteles fatetur? cum semper eleventur exhalationes à Sole, cum semper sit motus diuturnus. (2.) Cur potius hoc anno, quàm illo Cometæ efficiantur? Si dicatur: Cometam fieri eò annò, quò exhalationes sint copiosiores, quod Aristoteles affirmat: occurrit hæc difficultas; quod, cum Sol idem semper perseveret terrâ eadem, cur nunc plures, nunc pauciores in eadem regione exhalationes sint & excitentur?

(a.) De Universo Libr. XV. c. XV. p. 219. seqq.

§. 3. Astro-